

bantur αὐτονομία reddita, quae olim peregrina ditio tantum fuerat, in aequum paene ius recepta est. Et maxime oriens invaluerat, rursusque 'non tenuis quidam e Graecia rivulus, sed abundantissimus amnis (Orontem dixit Iuvén. 3, 62) illarum disciplinarum et artium in urbem influxit' (Cic. de rep. 2, 19), ut iam ex imperio Romano imperium Graeco-Romanum factum videretur. Huius vero rerum mutationis effigies cum etiam in hominum ingeniis non exprimi non posset, si Gaium eius in iurisprudentia primum et verissimum exemplar novumque quasi, huius tamen temporis, Labeonem dixeris, ut Hadrianus, 'princeps ille doctus et navus orbis terrarum, non regendi tantum, sed etiam perambulandi diligens' (Front. de fer. Als. 3) fuit in principatu, quem et ipsum idcirco iam aequales Graeculum dixerunt (Spartian. Hadr. 1), non modo rectissime, ni fallor, de eo iudicaveris, sed etiam omnia, quae eius propria sunt, facillime explicaveris.

Primum igitur mirum non est, quod Institutiones suas, qui liber primus omnium novi imperii status ratione habita compositus esse videtur, non a populi Romani iure, sed ita exorditur: 'Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio partim communi omnium hominum iure utuntur' etc. et deinde quoque ceterorum populorum iura respicit, non modo utrum quid iuris civilis an iuris gentium sit in quocunque articulo adnotando (1, 2), sed etiam in iure civili simile vel dissimile aliorum populorum ius afferendo vel comparando (1, 55; 92; 193; 197. 3, 96; 134 et cf. L. 13 D. fin. reg. 10, 1. L. 4 D. de colleg. 47, 22), ius etiam Latinorum coloniariorum explicando (1, 79; 85; 86; 95. 3, 120), peregrinis quid ex iure Romano liceat vel non liceat, admonendo (1, 47; 53; 74; 93; 94. 2, 285. 4, 37; 105), provinciarum et Italiae in iure civili diversitates enarrando (1, 6; 20; 100—102; 105; 183; 185; 197; 200. 2, 7; 21; 24; 27; 31; 46; 63; 278. 3, 121; 122. 4, 109). Eodemque pertinet, quod non modo edictum urbiculum, sed etiam provinciale separatim primus et solus interpretatus est, quod-